



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1652. usque ad annum 1662

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1779

VD18 90119185

§. 65. Pretiosa mors S. Vincentii a Paulo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67372)

Sæc. XVII.
A. C. 1660.

§. LXV.

Pretiosa mors S. Vincentii a Paulo.

Vitæ suæ finem beata morte hoc anno imposuit S. Vincentius a Paulo. *Heliot Hist. des Ordr. Mem t. 8. pag. 65. Abely vie de S. Vinc.*
 Hic Anno Christi millesimo quingentesimo septuagesimo sexto die vigesima quarta Aprilis Podii prope Aquas Tarbellicas natus profundam eruditionem cum vitæ innocentia conjunxit: Sacerdotio initiatus ac doctoratus laurea decoratus, Tolosæ publice Theologiam profitebatur, inde vero Massiliam profectus, cum Tolosam maritimo itinere rediret, a Turcis Piratis captus in Africam abductus est, ubi quemdam Christianæ fidei desertorem patria Nicensem, cui divenditus erat, Christo rursus lucrificavit, & cum eo ex captivitate Avenionem venit; inde Parisios delatus, instituendis Filiis Emanuelis de Gondy Gallicarum Triremium Præfecti operam dedit; quadam autem die ad infirmum quemdam rusticum evocatus, illum ad exactam præteritæ juventutis & ætatis accusationem tanto spiritus fervore permovebat, ut ipsemet infirmus se gravissima scelera ex verecundia dudum celasse, coram adstantibus ipsaque dicti Præfecti uxore palam profiteretur: Hæc vero, cum plu-

Sæc. XVII. plures ex suis subditis tam horrendi
A. C. 1660. sacrilegii contaminatos fore vereretur.

Vincentium rogabat, ut suæ ditionis
incolâs ad universæ prioris vitæ notam
sincere detegendas hortaretur: id quoque
Vincentius tanto animarum pro-
ventu præstitit, ut se totum evange-
lizandis pauperibus sacrare decerneret,
& accitis Apostolici hujus laboris sociis
Congregationem sub nomine Presbyte-
rorum sæcularium Missionis institueret,
quæ eo adhuc vivente per Franciam,
Italiam, Sæbauriam, Poloniam & Afri-
cam in triginta Domos extensa, postea
ab Urbano VIII. Mense Januario sub no-
mine hujus sæculi trigesimum secun-
dum Apostolica Constitutione, à
Ludovico XIII. Galliarum Rege descripta
post annis Regio diplomate confirmata
est. Interim vero Vincentius plurima
Clericorum Seminaria, Matronarum
& Virginitatis cætus erexit, nilque es-
set prætermisit, quæ vel ad restau-
randam Cleri disciplinam, morum cor-
rectionem, vitæ perfectionem, vel sub-
levandas pauperum, peregrinorum
aut captivorum miseras conducere
crederet. Obstiterat etiam non minus
animi fortitudine quam prudentia &
moderatione erroribus Jansenii a Papa
damnatis, ipsius etiam, quos deceptus
noyerat, ad veritatis semitam monitis
pro-

Vid. supra
l. 199. §. 99.
t. 60. &
pag. 716.

precibus & rationum momentis redūcere adlaborabat: Tandem vero Vincentius meritis annisque plenus die vigesima septima Septembris anno ætatis suæ octogesimo quinto Parisiis placidissime obdormivit in Domino, quem vitæ sanctitate, & miraculis insignem Clemens XII. die decima sexta Junii anno post Christum natum millesimo septingentesimo trigesimo septimo Sanctorum Albo inscripsit. Verum anno sequenti die quarta Januarii Parisiense Parlamentum hujus Canonisationis Bullam supprimi, & illa Senatus decreta, quibus Bullam a Parlamento nondum acceptatam exequi inhibitum, executioni mandari præcepit, eo quod in hac Clementis Constitutione plenitudo Pontificiæ potestatis in causis Ecclesiæ, & præsertim doctrinæ, nec non cæca obedientia erga Pontificum decreta, nimium extolli crederetur.

§. LXVI.

Quorundam Scriptorum Catholicorum opera & obitus.

Hunc quaque annum vitæ suæ exitialem habuere ex Scriptoribus Catholicis nonnulli, quorum opera recensere, & primo quidem Joannes Jacobus Chiffletus edidit *Vindicias Hispani-*

Dupin nouv. Bibl. des Auth. t. 17. pag. 270. Barthol Dissert. de lat. Christi.